Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25986
Copyright: Admont, Benediktinerstift

fidei et signum circumcisionis. Et quia dictum est ei: In semine tuo benedicentur omnes tribus terrae. Quod exponens apostolus dicit: Non dixit ex seminibus quasi ex multis, sed in semine tuo uno, quod est Christus. David uero proponitur propter regiam dignitatem, et quod ei dictum est: De fructu uentris tui ponam super sedem tuam. Et quia sicut Abraham factus est pater multarum gentium credendo in praeputio, et pater Iudeorum per signum circumcisionis, sic David primus factus est princeps in tribu Iuda regali dignitate. Item cur David proponitur Abrahae, cum ante fuit Abraham quam David? Quia David sub iure iurando, Abrahae uero simpliciter facta est de Christo promissio, ut illud: Iurauit dominus et non penitebit eum. Ad Abraham tamen simpliciter: In semine tuo benedicentur omnes tribus terrae. Hanc autem simpliciter promissionem esse aliquotiens legitur mutatam, quod uero sub iure iurando, minime.

Abraham genuit Ysaac. Ysaac genuit Iacob. Iacob genuit Iudam et fratres eius. Iudas autem genuit Phares et Zaram de Thamar et cetera. Quare nullam sanctarum feminarum in genealogia domini posuit euangelista, sed quas sacra scriptura reprehendit? Thamar quidem reprehenditur de soceri concubitu. Raab meretrix fuit Hierichontina. Ruth fuit alienigena Moabitis. Preceptum enim fuerat legis, ut nullus israhelita duceret uxorem de alienigenis. Bethsabee uero redarguitur de adulterio. Igitur quidem ut ostenderet quod dominus pro peccatoribus de celis aduenturus ueniret, et de peccatoribus et de peccatricibus carnem assumere uoluit, ut omnium peccata deleret. Thamar interpretatur amara. Raab festinans. Ruth ascendens. Bethsabee puteus septimus siue puteus iuramenti. Et significant sanctam ecclesiam, quae egressa de amaritudine infidelitatis festinans ascendit ad puteum septimum siue ad puteum iuramenti, hoc est ad fontem sacri baptismatis. Qui puteus septimus dicitur, quia in eo datur donum sancti spiritus qui est septiformis. Puteus iuramenti, quia ibi fit coniuratio contra diabolum.

Quare non proprio nomine euangelista Bethsabee nominat sicut reliquas mulieres? Quia illae et si in aliquo uituperabiles fuere, tamen uirtute laudabiles. Haec uero adulterii et homicidii fuit conscia, nec ei ulla legitur penitentia.

Quid est quod ait: Ioram genuit Oziam, cum non genuerit Oziam, sed Ochoziam, et Ochozias genuit Ioas, Ioas Amasiam, Amasias Oziam?

Quare hii tres, Ochozias, Ioas, Amasias, a genealogia domini exclusi sunt? Quoniam propositum fuit euangelistae, ut tres tessaresdecades in genealogia domini poneret, siue quantum ad Ioram qui ammiscuit se Achab et Iezabeli iniquissimae, meruit ut nomina filiorum eius usque ad tertiam generationem in domini genealogia non texerentur. Et est completum in eo quod dominus dicit: Ego dominus fortis zelotes uisitans peccata patrum in filiis in tertiam et quartam generationem his qui oderunt me. Quantum uero ad ipsos: Ochozias quia imitatus est maliciam patris sui Ioram, et Ioas qui occidit Zachariam collactaneum suum inter templum et altare, et Amasias qui non fecit rectum coram domino sicut David pater suus.